



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicvs cum Melliflvo,)**

**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Responsio secunda. Primus homo peccavit etiam peccato inobedientiæ &  
alijs pluribus secundùm Augustinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**

cepti, ut constat ex his verbis: *Ne fortè moriamur;* ergo primum peccatum non fuit superbia. Respon-  
deo negando antecedens: per tò fortè enim non sem-  
per in Scriptura significatur dubitatio. Hic autem  
significatur incertus eventus mortis, ob incertitudi-  
nem transgressionis, quæ erat primis hominibus li-  
bera.

Dico secundò. Primus homo peccavit etiam pec-  
cato inobedientiæ & aliis pluribus, secundum Augu-  
stinum. De inobedientia constat, quia primus homo  
præcepta Dei contempsit, ut patet ex illo Tract. 4. in  
Epist. Joan. *Contempsit Adam in paradiso positus præ-*  
*ceptum Dei, & erexit cervicem, veluti in potestate sua*  
*esse cupiens, & nolens subdi voluntati Dei.* Et lib. 14. de  
Civ. c. 13. *Primi parentes in occulto mali esse ceperunt,*  
*ut in apertam inobedientiam laberentur.* Et lib. 5. de  
hæres. c. 5. *Eva inobediens meruit pœnam, Maria*  
*obediendo consecuta est gratiam.* Et lib. 8. de Gen. ad  
litt. c. 14. *Homo contemnens præceptum Dei didicit, quid*  
*interest inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ.*  
Et lib. cont. Advers. legis. c. 14. *Hæc est pœna inobe-*  
*dienti homini reddita in semetipso, ut ei vicissim non obe-*  
*diatur, nec à semetipso.*

Probatum etiam de aliis peccatis ex eodem Augusti-  
no, qui loco in notabili citato ex Enchr. ait: *In illo pec-*  
*cato uno possunt intelligi plura, & subjicit: nam & super-*  
*bia est illic --- & sacrilegium, quia Deo non credidit, &*  
*homicidium, quia semetipsum precipitavit in mortem: &*  
*fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humana ser-*  
*pentina suasionem corrupta est: & avaritia, quia plus quam*  
*illi sufficere debuit, appetivit &c.* Ad-

Adde his peccatum curiositatis, gulæ, scandali &c. S. Bernardus quoque varia refert peccata. dicit, quod fuerint inobedientes, intemperantes, in verba malitiæ conversi ad excusanda peccata &c. Specialis autem difficultas est, an primi homines commiserint peccatum infidelitatis & fidem amiserint?

Dico tertio. S. Augustinus favet sententiæ affirmativæ. Constat ex variis locis. Primo ex Conc. 2. in ps. 70. ubi ait S. Pater: *Credidisti, quod promisit diabolus, & invenisti quod minatus est Deus.* Secundo ex Conc. 1. in ps. 68. *Rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem.* Tertio ex lib. 2do de Gen. cont. Manich. c. 15. *Quid hic intelligitur nisi persuasum esse (subintellige per verba serpentis) ut sub Deo esse nolent, sed in sua potestate potius sine Dominio, ut legem ejus non observarent, quasi providentes sibi, ut seipsi regerent non indigentes illius intrinseco lumine; sed utentes propria providentia, quasi oculis suis, ad dignoscendum bonum & malum, quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, ut suam potestatem nimis amarent, & cum Deo pares esse vellent.* Quarto ex l. de Cant. nov. c. 8. *Deum contempnit, serpenti credidit.* Quinto ex serm. 34. de divers. c. 2. *Aurem præbuit serpenti, aurem clausit ad Deum - - inde enim audivit Deum, inde audivit diabolum, quare non potius meliori credidit?* Sexto ex lib. 14. de Civ. c. 17. ubi dicit S. Augustinus: *Cognoverunt (intellige se esse nudos) quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia.* Septimo ex l. 1. de pecc. merit. c. 7. ubi explicans S. Pater illud Apo-

stoli